

'Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumque, fatebor

vera' inquit, 'neque me Argolica de gente negabo: hoc primum; nec si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget. 80

Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen Palamedis et incluta fama gloria, quem falsa sub prodicione Pelasgi insontem infando indicio, quia bella vetabat, demisere neci, nunc cassum lumine lugent: 85

illi me comitem et consanguinitate propincum pauper in arma pater primis huc misit ab annis. dum stabat regno incolumis regumque vigebat conciliis, et nos aliquod nomenque decusque gessimus. invidia postquam pellacis Ulixi 90

— haud ignota loquor — superis concessit ab oris, adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam et casum insontis mecum indignabar amici. nec tacui demens et me, fors si qua tulisset, si patrios umquam remeassem victor ad Argos, 95

promisi ultorem et verbis odia aspera movi. hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes criminibus terrere novis, hinc spargere voces in volgum ambiguas et quaerere conscius arma. nec requievit enim, donec Calchante ministro — 100 sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolve quidve moror? si omnis uno ordine habetis Achivos idque audire sat est, iamdudum sumite poenas: hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridae.'

Tum vero ardemus scitari et quaerere causas, 105 ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae. prosequitur pavitans et ficto pectore fatur:

'Saepe fugam Danai Troia cupiere relictam moliri et longo fessi discedere bello, — fecissentque utinam — saepe illos aspera ponti 110 interclusit hiems et terruit auster euntis.

praecipue cum iam hic trabibus contextus acernis